

*Carmine defunctus magnus nunc vivit Achilles
Semper & Alcides carmine vivus erit
Vos, quibus aeterna facimus vaga murrina fama,
Digna decet larga dona dedisse manu.
Exiguo, reliqua quae dantur, tempore restant,
Quae data sunt Vati, munera semper habes.*

18 Quod bene agnovisse videntur multi antiquorum, & recentiorum temporum Heroes, qui hac de causa celebres Historicis, aut Poëtas magno in pretio apud se habuerunt, pecuniis, muneribusque & honoribus, salariis, status, coronis, templis, sepulchris, aliisque variis modis condecorarunt, quorum copiosam narrationem, qui velit, apud Theatrum (l) vitæ humanæ Beyerlinchii reperiet: sed omnium loco Magnum illum Alexandrum Macedonem exhibere sufficere, qui cum se totum ad Achillis exemplar componere cuperet, & longo postea intervallo superaverit, hoc uno illum se feliciorum & fortunaciorem fuisse dixit, ut Plutarchus (m), & alii passim literis produunt, quod immortalis Homeri carmine celebratus, per totum terrarum orbem innotuisset, sic indicans, ut aliud agens Plinius Junior (n) scripsit: *Se hoc uno monumento homines quantumvis claros, & rerum gestarum gloria conspicuos à mortalitate asserere posse; nam cetera fragilia, & caduca, non minus quam ipsi homines, occidunt, desinantque.*

19 Idemque ipsum, æquè signanter Eudamidas apud eundem Plutarchum (o) ostendit, dum rogatus à quodam, quam ob causam Lacedæmonii, priusquam inirent prælium, Musis immolarent, cum nihil illis videretur cum Marte esse commercii? *Ut rebus (inquit) fortiter gestis, contingat honesta commendatio.* Et Alexander Severus apud Lampridium (p) quia ita habet: *Sed amavit literatos homines: vehementer etiam reformidans, ne quid de se asperum scriberent.* Et Plinius Junior (q), qui jam suo tempore hunc morem antiquum fuisse, his verbis ostendit: *Fuit moris antiqui, eos, qui vel singulorum laudes, vel urbium scripserint, aut honoribus, aut pecunia ornare: nostris vero temporibus, ut alia speciosa & egregia, ita hoc in primis exolevit. Nam postquam desimus facere laudanda, laudari quoque ineptum putamus.*

20 Et Antiquioribus aliis omissis, elegans quoque est in eodem argumento exornando Ludovicus Ariostus (r), Principens laudans, qui Scriptorum, & dignorum Poëtarum penam (quos raros esse inquit) se suaque facta à Lethæis undis eripiunt. Contra eos vituperans, & intellectu à Deo privatos inquitens:

Che de la Poesia gli ha fato schivi, &c.

21 Quod in Rithmis sequentibus, omnino legendis, variis exemplis demonstrat, & in eadem sententiam consentiens Joannes Barclajus (s), parum esse ait, in Principem ullum, vel in uno cælo omnium virtutum stellas convenisse, nisi nobiles Scriptores meritis, sortitusque fuerit, qui easdem posteris calamo tradant, & ultra mortalium sortem extendant.

22 Quæ quidem omnia secus longè illis Principibus contigisse videmus, qui Heroicis Poëtas, gravesque, & eloquentes Scriptores & Historiographos sibi gratos, beneficiisque devinctos, habere non curarunt, eosvè in aliquo læserunt, vel contempserunt, cum exinde maximam sui nominis gloriæque jacturam apud posteros reportaverint, totque conspersi maculis fuerint, ut vix ad eas abluendas totus veritatis in contrarium se habentis Oceanus sufficere possit, ut in nostro Rege D. Petro accidit, de cuius vitis, & sævitiis plus, quam debuit, hac de causa ejus Historiographus Petrus Lupecius ab Ayala vulgavit, ut nuper D. Comes de la Roca (t), multis titulis clarus, docto in rem hanc libello demonstrat; & in Paulo II. Pontifice Max. quem nimis Platina ab eodem malè tractatus, suis scriptis læcessit.

23 Eademque causa Laurentium Vallam permovit (u), non solum contra alium Pontificem, verum & contra ipsam demum Ecclesiam Romanam, & donationem eidem à Constantino Imper. factam, improbè debachandi, ut latius Eminentis. Cardin. Baron. & Bellarm. & Augustin. Stheucus (x) eandem acerrimè defendentes, enarrant. Usque adeo certum est, vel pusillos Tentiritas nostros, quibus Dei munere legenda scribere datum est, etiam à magnis Principibus timeri suspicique debere, cum & ex ira, vel favore dividant mortalibus Fata, & suis scriptis famam, infamiamvè perennem reddant, quia, ut Festus Avienus (y) inquit:

Musis in termina vita


Permanet, & memori laus semper pullulat ævo.

EM

(l) Theatr. lit. A. pag. 689. lit. G. pag. 105. lit. H. pag. 72. lit. P. pag. 496. & seq. & lit. S. pag. 315.
(m) Plutarc. in Alex.
(n) Plin. Jun. lib. 6. epist. 17.
(o) Plutarc. in Apophr. Laconic.
(p) Lamprid. in Alex. Severo.
(q) Plin. Jun. lib. 3. epist. 21.
(r) Ariost. in Orland. Fur. cant. 35. stanc. 22. & seqq.

(s) Barclaj. in Argen. lib. 1. pag. 101. quem lege.
(t) D. Comes de la Roca in lib. de vita D. Petr. Reg.
(u) Fest. Avienus de situ Orbis.
(x) Bellarm. & Stheuc. contra Vallam, & plures alii passim.
(y) Fest. Avien. in descript. Orb. Filiuc. 2. select. pagin. 343.

MONETÆ PROBITAS, ET VENERATIO.



*En Constantini Numos homo pronus adorat.
An quia sit Numen numulus iste sibi?
Numinis aeterni an quia pars non parva Moneta
Mutari obsistit, jam quod adoret habet?*

COMMENTARIUS.

Non sufficit Reipublicæ curam clavumque tenentibus, subditorum animos præiorum, & beneficiorum, de quibus egimus, gratia & liberalitate demulcire, nisi eisdem bonam probamque Monetam constituent, materia, ut post Paulum Juris-Consulti alii plures (a) tradunt, electa, cujus publica, ac perpetua æstimatio difficultatibus permutationum æqualitate quantitatis subveniat, & forma publica percusa, usum dominiumque, non tam ex substantia præbeat, quam ex quantitate, neque ultra merx utrumque sit, sed alterum pretium vocetur. Quod Paulus ab Aristotele (b) sumpsit, eandem doctrinam, & numerorum cudendorum causam, & originem plenius adhuc tradente. In quo etiam argumento Plinius (c) de Romanis agens, & Budæus (d), Tiraquellus (e), Covarruvias (f), & alii (g), de Hebræis, Græcis, & aliis Nationibus, latè versantur.

2 Omnes ubique pariter asserentes, hanc curam probæ Monetæ populis impertiendæ, adeo propriam Principum esse, & esse debere, ut vel ob hoc, ad eos tantum, qui superiorem non agnos-

(a) L. 1. de contr. empt. l. si ita 42. de fidejurr. & latè omnes, qui de re Numaria scripserunt, quos vide apud Latream 1. tom. discept. cap. 12. ex n. 2. Marq. in gubern. Christian. lib. 2. cap. ultim.
(b) Aristot. 1. Polit. cap. 9.
(c) Plin. lib. 33. cap. 1. & 3. Eutrop. lib. 2.

(d) Budæus in notis ad d. l. 1.
(e) Tiraq. de retr. lign. s. 1. glor. 20. num. 20.
(f) Covarr. de veter. num. collatio.
(g) Forcat. dial. 48. Basil. Pont. select. exposit. de monet. Marq. in gubern. Christ. lib. 2. cap. 39.

492
noscunt, hæc facultas, potestasque pertineat, & inter præcipua ipsorum Regalia dinumeretur, ut post Imperatorem Fridericum (b), Sixtinus (i), & alii (k), qui de Regalibus agunt, latissimè prosequuntur.

3 Eidemque Monetæ, ita in publicum constitutæ, talis, tantaque auctoritas, & veneratio insit, ut qualibet ipsius adulteratio, corrosio, reprobatio, vel immutatio, inter capitalia, imò & graviora læsæ Majestatis crimina censeatur. Idedque conscii etiam hujusmodi sceleris, interclusa provocandi, alioqui favorabili, & semper concessa facultate, variorum Cæsarum legibus (l) puniantur.

4 Quod fortè occasionem nomini præstitit, si D. Isidoro (m), & aliis Grammaticis, quos Joannes Corrasius (n), & Fungerus (o) referunt, fidem habemus, quasi Monetæ à monendo dicatur, quòd moneat, ne quid fraudis in materia, vel pondere fiat, & veluti divinum quid venerari, suscipi, ac suspici debeat. Ad imitationem Junonis, quam Monetam etiam Romani veteres appellarunt, ut Julius Firmicus (p), & alii (q) recensent, quod ex arce Templi commonuerit Pop. Roman. cum terramotus factus esset, ut suæ plena procuratio fieret.

5 Unde etiam & Nomi nomen accepit, non solum à Nomo, quod legem Græcis significat, vel à Numa Pompilio, qui primus apud Romanos Numos cudisse, suoque nomine, & imagine insignisse perhibetur, ut vulgò Grammatici (r) tradunt; sed potius, quia numinis cujusdam (ut dixit) venerationem habebat, sive quia Principes vultus suos, quos sacros, vel æternales vocabant, numis frequenter imprimere solebant, ut in quadam Codicis Justiniani lege (s), & expressius apud D. Mattheum (t), & Cassiodorum (u) habetur, quare & Monetæ à Suetonio (x) Iconium vocatur.

6 Sive, quod magis arbitror, quia Pecunia apud omnes gentes, & maximè apud Romanos, pro Dea habita fuit, eique se homines, ut Pecuniosi essent, commendare solebant, Æsculumque, & Argentinum Deos venerabantur, ut ex D. Augustino (y), & aliis Giraldo (z) animadvertit, Juvenalem (a) simul expendens, & exponens, qui contrarium insinuare videtur, dum dixit:

—Etsi funesta Pecunia templo
Nondum habitas; nullas numorum ereximus aras.

Cum tamen idem, in antecedentibus carminibus, divitiarum Majestatem inter Romanos sanctissimam fuisse dixerit, & Pecuniæ effectus latissimè & scitissimè commendaverit.

7 Quos, & ante eum, Menander (b) ab Stobæo relatus, & à Giraldo (c) translatus, his elegantissimis Senariolis, in quadam fabula retulit.

Epicharmus dixit hoc quidem Deos.
Ventos, solem, terram, ignem, stellas, aquam.
Ego utiles verò Deos esse arbitror
Nostros, & Argentum, & Aurum maximè
Istos quidem si dedices tua in domo
Quidquid voles roges, tibi omnia aderunt,
Ager domus, servique, & Arg. yromota,
Testes, amici, judices, tantum dato,
Ipsos habebis, vel ministrantes Deos.

8 Cui, aliis omissis, novissimus Epigrammatarius (d) adridet, ita, non minùs lepidè, eandem numorum Deitatem, & à Numine tractam etymologiam complectens,

An ne Numen vocant, Criticique Numisma Latini,
Quod Numon Argivi, quodque Numisma vocant?
An quia, Numen potens, numerata pecunia vulgò
Diceris, à numero tu quoque nomen habes?
An ne, Deam quia te, Regina pecunia, mundus
Æstimat, & numo Numen inesse putat?

Eis-

(b) Frider. Imp. in cap. 1. que sint Regalia, ubi latè DD.
(i) Sixtin. de reg. lib. 2. cap. 7.
(k) Harnilaus & Bessold. in dissert. de jur. Majest. Budel. de Monet. lib. 1. cap. 28. & alii ap. Larream d. c. 12. ex n. 6. & Knichen in Encicloped. cap. 16. ex n. 71. & in tract. de saxum non provoc. jure, ex num. 349.
(l) L. 1. & 2. C. de falsa Monet. l. pen. C. eod. in Theod. Vela, & alii, in tract. de delict. cap. de falsa mon. juncta l. non tantum, D. de appell.
(m) Isid. 6. etym. cap. 17.
(n) Corras. 3. miscel. cap. 13. n. 3.
(o) Fungerus. & alii verb. Moneta.
(p) Jul. Firm. in lib. de divin.
(q) Girald. rymagm. 1. pag. 37.

(r) D. Isidoro. d. lib. 1. cap. 47. D. Epiph. in lib. de pond. in fin. Fung. verb. Numus.
(s) L. unic. C. pub. latit.
(t) D. Matth. cap. 21.
(u) Cassiod. lib. 6. epist. 7. & lib. 7. epist. 32. latè Arnis. de jur. Majest. cap. 26.
(x) Sueton. in Caligul.
(y) D. August. de Civit. Dei, lib. 4. cap. 19.
(z) Girald. rymt. 1. pag. 37.
(a) Juven. satyr. 1.
(b) Menand. ap. Stob. in orat. de Pluti laud.
(c) Girald. ubi sup.
(d) Oves. lib. 2. epigr. 110.

Monetam probam, & venerandam esse debere.

9 Eisdemque consonans Hesiodus (e) Pecuniam esse animam mortalibus, dixit, & alii plures, quos Budelius (f), & noster Menchaca (g), & novissimus D. Joannes de Larrea (h) recensent, eandem Deam, & Reginam cunctorum appellant. Inter quos Petronius (i) sic habet:

Quisquis habet numos, securo naviget aura,
Fortunamque suo temperet arbitrio.
Uxorem ducat Danaen, ipsunquæ licebit,
Acrisium jubeat credere, quod Danaen
Carmina componat, declamet, concrepet omneis,
Et peragat causas, sitque Catone prior.
Juris-Consultus Paret, Non Paret, habeto,
Atque esto quidquid Servius & Labeo.
Multa loquor; quid vis numis presentibus opta,
Et veniet. Clausum possidet arca Jovem,

10 Quapropter Salomon (k), inter antiqua, & præcipua Hebræorum Adagia, illud collocavit, Pecuniæ obediunt omnia, quod tan ceteris Nationibus in ore fuisse, quàm nunc etiam omnibus est in usu, luculenter Erasmus (l), Delrius (m), & Pineda (n), idem ipsum Adagium illustrantes, ostendunt. Et Apollinis Pythii Oraculum, qui Philippo Macedonii consulenti de victoria, respondit: Argenteis basteis pugna, & omnia vinces. De quo etiam idem Erasmus (o) aliud Adagium deduxit, ad dens, & simul Delrius, huc fortè alluisse Verris, rapacissimi hominis, dictum apud M. Tullium (p): Nihil tam sanctum, quod non violari, nihil tam manitum, quod non expugnari pecunia possit.

11 Quod veteres ostendere volentes, Danaes fabulam confinxerunt, ab Acrisio patre munitissima turri inclusæ, quàm tamen Jupiter in imbrem aureum conversus, & per regulas in puellæ gremium se se dimittens, gravidam fecit. Quam ultra Horatium (q), & Petronium modò relatum; Paulus Silentiarius hoc lepidò Epigrammate explicat:

Aureus in cæcas penetravit denique rimas,
Et Danaes duos Jupiter in thalamos
Fabula sic inquit, me judice: ferrea claustra
Aurum perrupit, duraque vincla domat.
Aurum omnes velle infregit, & arguit artem
Clavis, & inflexit torva supercilia.
Sic Danae devicta fuit, non ullus amator
Aurum cui fuerit, suplicet hic Veneri.

12 Philemon quoque Comicus apud Henric. Stephanum (r), in ejusdem thematis comprobationem, Amalthææ cornu ex se omnes fructus evomens, non bovinum, sed aureum, vel argenteum pingendum esse inquit, quod ex his metallis omnia bona promanent. Sic etenim habet:

An cornu Amalthææ fuisse existimas,
Ut pingitur pictoribus, cornu bovis?
Argentum erat, quod possidere si queas,
Mox cuncta præsto, nutum fuerint ad tuum
Testes, Amici, socii, itemque prædia.

Quorum carminum etiam meminit Hadrianus Junius (s) in Adagio Herculis cornu, illud in eundem sensum exponens, & plura simul de Amalthææ cornu literis tradens.

13 Sunt etiam, qui hoc ipsum veluti Emblematicè significare voluisse, Romanos existimant, dum in non paucis è priscis numis, fulmen pro nota insculptum reperitur, quasi pecunia fulmini signo gestabant, unguibus tenere, Dion (t), & Livius (u) (fortè ex eadem ratione) testantur, cum pecunia belli fulmen, & nervus à Demosthene (x) vocitetur.

Ne-

(e) Hesiod. in Ergis.
(f) Budel. de re num. lib. 1. cap. 3.
(g) Mench. in præf. contr. illustr. n. 77. & seqq.
(h) Larrea dict. cap. 12. ex n. 62. ubi vide bona verba Lorini.
(i) Petron. in Satyric.
(k) Eccles. cap. 10. vers. 19.
(l) Erasmus in hoc Adag. pag. 521.
(m) Delr. 2. tom. pag. 438.

(n) Pined. in Ecclesiast. dist. cap. 19. vers. 19.
(o) Erasm. supr. pag. 522.
(p) Tull. 2. in Verr.
(q) Horat. 3. carmin. od. 16. quem lege.
(r) Henr. Steph. in præf. ad sentent. Comic. Græc.
(s) Junius inter Adag. Erasm. pag. 264.
(t) Dio lib. 43.
(u) Livius lib. 32.
(x) Demost. in Olyn.

14 Neque abludivit aliud Emblema Batilii (y), ex illo Apollinis ad Philippum Macedonem oraculo sumptum, in quo hominem pingit, aurea ballista munitionis urbis portas evertere, vel aperire conantem, & sic habet:

*Et stabiles Arvum portas, & claustra revellit,
Hæc Ballista sacram dejicit una fidem.
Aurato cornu multas non irritus urbes
Pulsatas, Macedo sic sibi sæpè tulit.*

15 Ego verò, non solum Monetarum potestatem, sed & auctoritatem & venerationem, quam habere debent, Principibus indere, & suadere prætendens, nullum aptius Emblema excudi posse existimo, quam hoc, quod nunc ob oculos pono, ex Constantini Magni Imperatoris Numismate sumptum. Hic enim non contentus severissimas illas aequè ac saluberrimas leges, quæ in Justiniani Codice (z) reperiuntur, contra Monetæ adulteratores promulgasse, sic quoque effigiem suam numis insculpi voluit, ut hominis flexis genibus Deum invocantis, in cœlumque pansis manibus conituentis, speciem præferret, ut latius in ejus vita Eusebius (a) enarrat. Quo exemplo, sive figuræ, licet pietatem ejus detegi, idem Eusebius existimet, Harnisæ (b) tamen significare, & admonere voluisse, inquit, quanta veneratione Moneta haberi deberet, quam vel ipse pronus adorabat, vel expansis ad cœlum manibus, ut pro salute populi cederet, precabatur.

16 Unde ipse hic idem Magnus Imperator, Monetæ, suas, alibi (c) vocat, ut Majestatem Imperialem illis inesse demonstrat: & Cassiodorus (d), in earum veneratione cunctorum salutem consistere, loquens cum Comite sacrarum largitionum (cujus erat missilia Principis nomine Kalendis Januariis in vulgus spargere) his verbis ostendit: *Verum hanc liberalitatem nostram alio decoras obsequio, ut figura vultus nostri metallis usualibus imponatur, Monetamque facis de nostris temporibus futura secula commonere: O magna inventa Prudentum! d' laudabilia instituta Majorum, ut & imago Principum subditos videatur pascere per commercium, quorum consilia invigilare non desimunt pro salute cunctorum!*

17 Et iterum (e), sic appositè inquit: *tamen omnino Monetæ debet integritas quæri, ubi & vultus noster imprimitur, & generalis utilitas invenitur. Quidnam erit tutum, si in nostra peccatur effigie? quam subiectus corde venerari debet, manu sacrilega violare festinat? Sit mundum, quod ad formam nostræ serenitatis adducitur. Claritas Regia nihil admittit infectum. Nam si vultus cujuslibet sincero colore depingitur multò justius metallorum puritate principalis gratia custoditur. Auriflamma nulla injuria permixtionis albescat. Argenti color gratia candoris ardeat, æris rubor in nativa qualitate permaneat, &c.*

18 Qua eadem in cura aded etiam invigilarunt Romani, ut ad ejusdem monetæ auctoritatem, & probitatem conservandam, Romæ, in æde tantum Junionis Monetalis eam percuti sicerent, præfectis in hoc opus æris, auri, argentique flatoribus, quos Triumviros Monetales vocarunt, ut post nostrum Juris Consultum Pomponium (f), & alios, qui de Romanorum Magistratibus scripserunt, bene Bernardus Waltherus (g), & Joann. Bodinus (h) observant. Addentes, in Francia quoque, & in Anglia, eadem de causa, non alibi, quam intra ipsorum Regum Palatia Monetarum cusionem permitti, ubi eundem etiam Triumviratum Monetalem hodieque vigore ex Arrestis Paponi (i) satis apparet.

19 Prout & in clarissima, prudentissimaque Venetorum Republica, de cujus hac in parte cura, ita valdè ad rem nostram Gaspar Contareus (k) scribit, *De Præfectis Monetæ nihil est quod plura dicamus. Ejus Magistratus illa cura est, ne argentum, aut aurum imperfectius, aut impurius cudatur, quam lex statuit: neque numi minores pondere, quam lex jubet, quod sanctissime apud Nos servatum fuit, quamobrem maximo in pretio apud omnes nationes barbaras, ne dum apud Christianos, Veneti numi semper fuerunt, hodieque sunt.*

20 Apud Turcas quoque, eandem rei numariæ curam, & quod nemini numerum cudendorum potestatem faciant, Bonfinius, Leunclajus, & alii agnoscunt, & laudant, quos Arnoldus Clapmarius (l), & noster D. Joannes de Larrea (m) recensent. Et ultra eos Scipio Gentilis (n), & Heringius (o), addentes, quod si quando Turcici Imperatores aliquos in Reges Principesve constituunt,

(y) Batil. Embl. 202.

(z) L. 1. & 2. C. de fals. monet.

(a) Euseb. in vita Constant.

(b) Harnis. de jur. Majest. d. cap. 7. n. 5.

(c) L. 2. C. de fals. monet. l. si quis numum, eod. tit. in Cod. Theod.

(d) Cassiod. lib. 6. epist. 7.

(e) Idem lib. 7. epist. 32.

(f) Pomp. in l. 2. D. de orig. jur. §. deinde cum esset.

(g) Walt. 2. misc. cap. 6.

(h) Bodin. de Repub. lib. 6. cap. 3.

(i) Papon. lib. 4. tit. 9. pag. 126.

(k) Contar. lib. 4. de Repub. Venet. fol. 70.

(l) Clapmar. de arc. rer. publ. cap. 16.

(m) Larrea dicit. cap. 12. num. 36.

(n) Scip. Gent. ad dicit. cap. 1. qua sin reg. §. 3.

(o) Hering. de Molend. q. 1. num. 14. pag. 6.

tuunt, aut in fidem clientelamve suam recipiunt, duo hæc semper excipere solent: *Monetas, & preces publicas, pro salute Principis.* Et idem in Imperio Germano hodie observari, tradit novissimus Nicolaus Bernegerus (p), electis ponderatoribus, probatoribusque Monetarum, quos Veteres *Zigostatas* appellarunt, quibus cura rei monetariæ, lustratioque commissa, indictis eam ad rem binis quot annis diebus, Kalendis nimirum Maji, & Octobris.

21 Et Ego hic peculiare observatione hoc notare volui, ut almæ nostræ Hispaniæ incuriam hac in parte succenseam, quam cum Deus quasi Dominam Arbitramque, sive dispensatricem auri, argenti, aliarumque totius orbis divitiarum effecerit, ut jam in hujus libri præfatione retulimus, atque aded ceterorum Regnorum numismata ex suis pendere deberent, nullibi tamen minor hujus rei cura conspicitur, neque Magistratus aliqui, Monetalesve Triumviri constituti reperiuntur, qui auro, argento, ærivoque probè conflando cudendoque præsent, & ne quid detrimenti ex adulteratione propriæ Monetæ, vel extraneæ illatione, sive invectione Respub. capiat, sedulo curent.

22 Quod in causa fuit, ut hisce nostris calamitosis temporibus cuprea sive ærea ferè obruti simus, & in ea, argenteaque etiam, & aurea, tot mutationes, & variationes, augmenta, & diminutiones experti, plurimis circa eas, & quidem sæpè ephemeris legibus, seu pragmaticis latis, ut nec marinus apud Græcos Proteus, vel apud Latinos Vertumnus, tot, ut alibi Propertius (q) ait, in uno corpore formas acceperint, & plus ex his damni, quam ex hostium bellis, & tellis acceperimus, ita ut vel exteri Scriptores (r) nostram hac in parte incuriam, ne dicam incitiam, notare potuerint. Inter quos eloquentissimus Carolus Scribanus (s): *Se nescire (ait) quomodo inter tot magna ingenia, tot selecta Regia Consilia, huic malo obviam itum non sit. Nisi quis credat Potentiam & Prudentiam junctim stabulare non posse, ut credas refractarios, & indomitos equos, quos unum equile non capiat.*

23 Cum tamen apud omnes non minus notum, quam certum sit, florentissima Regina, vel ob hanc tantum causam non solum cæssim, verum pessum visisse, ut multis exemplis ab omni Antiquitate petitis plures passim Auctores (t) ostendunt. Et signanter noster Joannes Mariana (u), de Rege nostro Alphonso X. agens, qui vilioris materiæ monetæ suis populis dedit, & damna quæ hanc mutationem consequuta sint (veluti ea quæ nos experti sumus) enarrans, sic habens: *Immutatæ pecuniæ dolor urebat, unde major annonæ caritas est consequuta. Id malum novo incommodo, cum remedium quaereretur, accumulatum. Rerum venalium pretia à Rege taxata sunt, unde suprema annonæ difficultas extitit, rerum dominis eo pretio vendere recusantibus. Sic majorem plerumque perniciem afferunt, quæ sapientissime in salutem excogitata fuisse videbantur.*

24 Similem quoque casum in Gallia contigisse narrat Robertus Gaguinus (x), cum Philippus Valesius Monetæ æstimationem auxit, ita ut quæ unius denarii erat, quinque denariorum parvo post tempore haberetur: *Hæc enim (inquit) res annonæ caritatem importavit, ita ut tritici sextarius LX XVI. avenæ verò septuaginta solidis venirent.* Et alios plures cumulant Kekermanus (y), Oresmius, & Biel (z), prudentissimos quoque viros judicare tradentes, magnarum mutationum in Rebus publicis præsentia esse, in solitam quamlibet Monetæ mutationem, seu depravationem, aut augmentationem; utpotè, quæ subiectos ipsos ad defectionem impellat, & extraneos, in eorumdem Regnorum, quantumvis florentissimorum, subversionem alliciat. Ac quasi ex Oraculo prodiisse Bodini (a) sententiam, docentis, non modò corrumpi Monetam, sed ne mutari quidem posse, sine incommodo civitatis: quoniam mutatio pretii, aut materiæ numismatum, census etiam, ac bonorum cujusque dubitationem affert. Quo fit, ut nemo quantum in bonis habeat, constituere possit: incerta sunt pacta conventa, incerti redditus, vectigalia, tributa; denique pænæ ipsæ ac præmia, quæ à legibus, & iudicibus irrogantur. Postremo ærarii opes, ac multa, tum in publicis, tum in privatis rebus rationibusque, dubia, ac suspensa fore necesse est.

25 Quod etiam ante eos explicuit Cassiodorus (b), his verbis: *Additur, quod venalitas cuncta dissolvitur, si victualia metalla vitiantur: quando necesse est respui, quod in mercimoniis corruptam videtur offerri. Quis ergo patiatur unius esse commodum dispendia scelestæ cunctorum, ut detestabile vitium venire possit ad pretium?*

26 Et ut verè sentit Matthæus Lop. Bravo (c), qui cum hæc Monetarum mutationes in Hispania nostra contigerunt, scripsit: *Nec mercium (inquit) in ista atisque pecuniariis in deterius mutationibus, proderit taxatio: malo enim (ut Hispania historia, experientiaque docuit) remedium exitialis.*

Om-

(p) Berneg. in quest. ad Tacit. de moribus Germ. q. 19.

(q) Propert. lib. 4. eleg. Eras. in Adag. Proteo mutabilior.

(r) Auct. Gallo Polit. apud Caranzam de monet. 3. part. cap. 5. Maced. in Manifest. Lusit.

(s) Scriban. in Polit. Christ. lib. 1. cap. 24.

(t) Tymp. in sp. Princ. Pontius in reliq. de Monet. Theat. vit. human. cod. verb. Saaved. in id. Pol. pag. 458. & 530.

(u) & 535. & alii apud Larream discept. 12. ex n. 49.

(v) Marian. de rebus Hispan. lib. 13. cap. 11.

(x) Gaguin. hist. Franc. lib. 8. pag. mibi 143.

(y) Kekerm. 1. pol. cap. 2.

(z) Oresm. & Biel in trad. de Monet. Ascaff. de arario pag. 217.

(a) Bodin. de Repub. lib. 6. cap. 3.

(b) Cassiod. lib. 7. epist. 32.

(c) Brav. de regen. rat. lib. 3.

Omnis namque merces suas recusabit vendere mercator. Unde major caritas, inopia, & seditiois properatio. Et Christophorus Bessoldus (d), post plura alia, quæ in eandem rem doctè congerit, addens, non solum Monetam rerum pretia secum trahere, rebusque omnibus, velut animam, ut inquit D. August. inesse, verum quod plus est, ex ejusdem bono, vel malo habitu, morum quoque civilium, bonum, aut malum statum manifestari. Atque adeo meritò Poëtam quemdam dicere potuisse,

Et quoniam mala sunt secula, Moneta mala est:
Tempora si mala sunt, malam esse Monetam necesse est.

Et alterum, qui magis adhuc ad nostram querimoniam accedit, & ad Ovidii (e) carmina alludit

Discitur ex numis, quàm se mala tempora mutant.
Omniaque in pejus deteriora ruant.
Aurei erant quondam numi, fuit aurea & etas;
Nunni nunc fiunt cuprea massa mali.
Cuprea nunc etas hominum est, nunc cuprea proles,
Inque dies fiet post scelerata magis,
Retulit ut Naso veraci carmine doctus.

27 Unde scitissimè Plautus nihil nequius numis novis excogitari posse docuit, dum dixit:

Nam nunc novæ que prodeunt Comædiæ,
Multò sunt nequiores, quàm Numi novi.

Et ab Innocentio III. Pontifice Maximo (f), Rex Aragonum Petrus II. graviter increpatur, quòd irrequisito populo, legitima Moneta mutata, reprobam aliam induxerit, sequè hanc non alteratum juraverit, & per ejusmodi actus grave scandalum suo in populo generaverit. Additque, juramentum illud iniquitatis vinculum, si ei standum esset, fore futurum, Consiliariosque, qui ei hujus facti auctores fuerunt, non Consiliarios, sed Deceptores appellat. Circa quem Textum plura novissimè quidam ex nostris satis doctè congesit (g), post eloquentissimam Joannem Marquez (h), qui copiosum de Principum potestate circa Monetaram mutationem syntagma conscripsit, & Joann. Bodinus (i), qui Reges Aragonum, more à Majoribus accepto, cum Imperii sacris initiatur, jurare solitos inquit, se antiquæ Monetæ leges minimè violaturos, prout & Reges Navarrae, non nisi semel, si illius Regni historiam, quàm Bessoldus (k), & Ascañus (l) referunt, fides habetur. Quamvis, quod ad Aragonos pertinet, verius sit, hoc jusjurandum post casum dicti Textus introduci cepisse, ut latius de tota ejus historia agens, tradit Petr. Belluga (m), addeas, Cave ne consulas Principi Monetæ mutationem in damnum populi, quia non eris Consiliarius, sed Deceptor. Quod gravius adhuc præmonuit Joannes Andreas (n), sub ejusdem Textus occasione inquit: Quod multi tavies bodie reperuntur Consiliarii, qui Deceptores ibi appellantur, & tantùm nituntur ad danda consilia pro extorsione pecuniæ, & quod lex dicat, expellendos esse ejusmodi Consiliarios, aliosque idoneos introducendos.

28 Qui sanè si tales se ostendere cupiant, vulgatum Distichum præ oculis semper habere debent,

Una Fides: Pondus; Mensura: Moneta sit una,
Et status illesus totius orbis erit.

Et nobile apophthegma cujusdam Langravii Hasia ab Waremundo (o) Erembergio relatum, qui auctoritatem Principis, & cognosci, & retineri hisce tribus notis dicere solitus erat, Tuto itinere, Fide promissi, & proba Moneta.

29 Et in idem tendit gravis de contrario in Bohemia usu querela Cosmæ Pragensis (p), inter alia referentis, Carolum Magnum, cum filium suum Pipinum, post se in solium sublimandum disponeret, eum terribili cum sacramento constrinxisse, ne in Regno suo subdola, & prava taxatio ponderis, aut Monetæ fieret. Et ita subjungit: Certè nulla ciades, nulla pestilentia, nec mortalitas; nec hostes, totam terram rapinis incendiisque devastantes, magis populo Dei nocerent, quàm frequens mutatio, & fraudulenta peioratio numi. Quæ pestis, aut quæ infernalis Erynnis inclementius spoliat, perdit, attenuat Christicolos, quàm fraus in numo berillis? Similem querelam in eodem Regno Bohemiæ sub Rege Joanne, ex Dubravio recenset Heringius (q). Addens ex Auctore Chronici Au-

(d) Bessold. de jur. Majest. thes. 54. & in tract. de arar. cap. 6.

(e) Ovid. 1. Metam.

(f) Innocent. III. in cap. quanto, de jur. jur.

(g) D. Larrea disp. 12. num. 42. & 65.

(h) Marq. in gubern. Christ. lib. 2. cap. ultim. §. 2. ex

(i) Larrea de Republ. lib. 6. cap. 3.

(k) Bessold. de arar. cap. 7.

(l) Ascaff. dist. cap. 217.

(m) Bellug. in specul. Princip. ann. 1245. & 1336. Marquez ubi sup. pag. 224. & in rubr. 36. §. grave damnum, n. 10. in fin. vide Carranzam de monet. pag. 364.

(n) Joann. Andr. dist. cap. quanto, num. 2.

(o) Warem. de subsidiis, cap. 5. n. 37.

(p) Pragens. apud Heringium statim citandum.

(q) Hering. in tract. de Holendin. q. 1. num. 14. pag. 6. & seqq.

Aulæ Regis ex cuprea numerorum materia, & corrupta eorum forma, impediri omnium rerum venalium fora,

Nam quisvis sator his numis dixit abutor,
Et dixit sartor, ex his nummis nimis arctor.
Conqueritur Pistor, meus omnis quæstus in his tor
Pet numis. Tristis etiam fit Faber in istis
Denariis parvis. Luit hoc villanus in arvis
Artificum turbe clamant super hoc, & in urbe,
Optant deleta, citò quod sit iniqua Moneta.
Nemo stat exceptus, qui non damnum sit adeptus.
Per talem fraudem; si cessat, tunc cane laudem.

30 Quod si nostra tempestate observatum fuisset, tot ærumnas sub ærosis, ac dolosis Monetis non patremur, nec sensim in Hispaniam nostram nefandum illud Politici cujusdam dogma prorepisset, qui numum nuper cudi suasit, cum hac inscriptione, Moneta pro tempore, quasi seculum nostrum ita pravum sit, ut vel in numis nulla fides, nulla probæ materiæ quantitas, vel qualitas attendi soleat. Quod perinde est, ac si doceret, ipsum omnem statum, quem hoc modo sublevare aliqui Principibus consulunt, de suo statu deturbari oportere, & Christianos Gubernatores Antonii Caracallæ pessimos mores induere, cui, Xiphilino, & Dione Cassio testantibus, tum, cetera omnia, tum numus adulterinus erat, & pro argento aurovè, plumbum in argentatum, & æs inauratum civibus dabat. Aut Hippia Atheniensis, cujus factum Aristoteles (r) refert, & taxat, dum omnem numum, cui tum Athenis in usu erat, Adocimon, hoc est improbum esse jussit, vilique ejus pretio constituto, omnem ad se pecuniam deferri imperavit, quam iterum longè pluris elocavit iis, qui eandem alio signo cudere vellent.

31 Planè enim, licet negare, nec possim, nec velim, omnem ferè numerorum substantiam, non tam ex suæ materiæ ponderisvè æstimatione, quàm ex Principum eudentium jussu, atque arbitrio pendere, ut magis communiter omnes, qui de re numaria agunt, post Metianum Juris-Consultum (s) docere videntur (t). Hoc tamen arbitrium, juris, ac rationis regulis temperatum esse debere, iidem ipsi Scriptoris, et alii passim edocent, graviter illos peccare tradentes, si absque gravissima & urgentissima causa, monetam, quam probam, & legitimam suis populis dare debent, propriis lucris intenti, vero suo valore, aut pondere fraudent. Quod ultra alios Magister Marquez (u) his verbis testatum reliquit: Porque es obligacion de los Principes, como de fadores de la fé publica, conservar la moneda en su peso legitimo, como el Papa Inocentio III. escribiò al Rei Don Pedro el II. de Aragon. Y fue la causa, por que el Rei Don Pedro el IV. confiscò los Estados del Rei de Mallorca, que pretendia era su vasallo, por averla basado de lei. Y el Poeta Dante llama al Rei Filipo el Bello de Francia Monedero falso, porque èl fue el primero que en Francia enflaqueciò la moneda de plata la mitad de la lei, con grandes alteraciones de sus subditos, y escandalos de los estrangeros, &c.

32 Ideò autem dixi: Sine gravissima, & urgentissima causa; quoniam ubi hæc ingruit, cum omnes leges excludat, Monetales quoque tandiù, quamdiù ipsa perstiterit, sibi obsequentes habebit, ut Leuconis exemplo Polienus (x) ostendit, qui cum pecuniis indigeret, ut hostibus resistere posset, jussit omnem ad se Monetam deferri, aliudque ei signum impressit, duplicatoque pretio valere præcepit, dimidiam sic partem dominis reddens, & alteram dimidiam sibi lucratus.

33 Cui exemplo, simile aliud de Romanis, in bello primo Punico pecuniarum defectu laborantibus, Plinius (y) latè recenset, & in idem tendit, quod de libra Septimiana Martialis (z) interpretes tradunt, & aliæ mutationes, numerorumque ex plumbo, cortio, papyro, aliisque vilissimis materiis cusiones, quas sub nostris Regibus Joanne I. & Henrico II. & aliis ubique Principibus, ex causis similibus factas, Covarruvias (a), & alii (b) à Novissimo Larrea (c) congesti commemorant.

34 Et hæc quidem, pro illis suadenda cura & sollicitudine probæ Monetæ dixisse sufficiat, dummodò illud veluti superpondium addamus, hanc quoque parum proficere, nisi æquè solerter caveant, atque provideant, ne ejusmodi monetæ, quodlibetvè aurum, argentum, resvè alia, quæ pretiosa censeri possit, extra sui Regni terminos exportetur, atque extrahatur. Quod cum nullibi non peculiaribus legibus (d) sancitur, quæ etiam jubent subtili ingenio hæc omnia, si fieri possit, à barbaris erui, & ad nos deduci debere, nullibi tamen segnius, quàm in nostra Hispania

Rrr

(r) Arist. in Oeconom.

(s) Metian. in lib. de asse.

(t) Bellug. rubr. 36. Petr. Gregor. lib. 1. de Rep. cap. 1. num. 31. Harnis. cum multis dist. cap. 7. Molin. tom. 2. disp. 101. & plures apud Larream.

(u) Marq. ubi sup. Harnis. dist. cap. 7. Timp. in specul. Princip. 2. part. sig. 23. Marian. lib. 3. de Reg. inst. cap. 5. & plures alii apud Larream disp. 12. n. 38. & 40.

(x) Polien. lib. 6. strag.

(y) Plin. lib. 33. cap. 3.

(z) Mart. lib. 4. epigr. 89. & lib. 8. epist. 71.

(a) Covarr. de numismat. cap. 7. num. 5.

(b) Harnis. dist. cap. 7. num. 7. Bessold. de jure malest. pag. 202.

(c) Larrea disp. 11. pag. 168.

(d) L. 2. C. de commer. 1.1. & per tot. C. que res export.

(e) Ego in Polit. lib. 6. cap. 1.

